



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 225. Vtrum anima humana sit incorruptibilis, & immortalis, & eiusdem
speciei cum Angelis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIO CCXXIV.

Vitæ animæ sit homo, vel sit composita ex materia, & forma?

S. Tho. q. 75. art. 4. & 5.

1. **A**rticulo quarto quærit, vtrum anima sit homo?

Respondet dupliciter intelligi posse, quod anima sit homo. Primo ita, vt homo specificè sumptus sit anima tantum, ieo quod sola forma sit tota quidditas speciei humanæ, at hic homo in indiuiduo non sit anima tantum, sed sit compositus ex anima, & corpore, eo quod non sola forma sit tota quidditas in diuidui, sed forma simul cum materia, vt aliqui dixerunt.

2. Reijcitur hæc opinio sic explicata. Si enim tota quidditas huius hominis singularis non solum est forma, hoc est anima, sed etiam materia signatè, & in singulari accepta, tota quidditas hominis vt sic non solum est forma, hoc est anima rationalis, sed etiam materia vniuersaliter sumpta. Quod enim est de essentia omnium indiuiduorum alicuius speciei, est etiam de essentia speciei: sed iuxta hanc opinionem de essentia omnium singularium hominum non solum est anima, sed etiam materia, & corpus: ergo etiam de essentia hominis vt sic non solum est anima humana, sed etiam corpus humanum specificè sumptum, ideoque definitio rerum naturalium explicans earum essentiam non solum explicat formam, sed etiam materiam, eo pacto, quo definitio, quæ homo definitur animal rationale, hoc est *uiuens potens sentire, ac discurrere*, non solum explicat animam, sed etiam corpus, siquidem anima rationalis sine corpore potest quidem discurrere, sed nequit sentire: sed quod debet explicari in definitione, spectat ad essentiam rei: ergo non solum forma, sed etiam materia spectat ad essentiam rerum naturalium.

3. Secundus sensus est, quod sicut sola anima est homo secundum speciem, sic sola hæc anima sit hic singularis homo, puta Socrates. Quia verò Plato censuit animam per se posse exercere omnes operationes humanas non solum intelligendi, sed etiam sentiendi, consequenter censuit solam animam esse hominem, cum illi conueniat tota definitio hominis: hoc est esse animal rationale potens sentire, ac discurrere, ac proinde hominem esse solam animam videntem corpore, eo pacto, quo equus est solus homo vtens equo. Homo enim est, quod potest exercere omnes operationes humanas. At nos eum dixerimus animam sine corpore non posse exercere operationes sentiendi, asserimus has operationes non esse proprias animæ, sed communes composito ex anima, & corpore, ac proinde hominem, hoc est animal rationale, potens sen-

tire, & discurrere, non esse solam animam, sed compositum ex anima, & corpore. Confirmatur ex Augustino, qui lib. 19. de Ciuit. laudat Varronem, quod hominem, nec animam solum, nec solum corpus, sed animam simul, & corpus esse arbitrabatur. Quia tamen aliquando, loquendo minus propriè, quod est principale in re, dicitur res, eo pacto, quo ciuitas dicitur facere, quod facit rector ciuitatis, ideo aliquando pars intellectiua, quia verè est principalior pars hominis, dicitur homo, & vocatur homo interior; aliquando è conuerso pars sensitiua, & corporea, quia, secundum quorundam existimationem est principalior, dicitur homo, & vocatur homo exterior. In hoc sensu loquitur Apostolus 2. ad Corinth. 4. dicens: *Licet is, qui foris est homo noster, corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem*. Videri possunt quæ de hoc puncto dixi quæst. 5. physicè examinans, vtrum forma sit tota quidditas compositi.

4. Art. quinto quærit, vtrum anima sit composita ex materia, & forma?

Respondet negatiuè. Probatur: nam, vel anima constaret ex materia, & forma, in quantum forma est, vel in quantum talis forma est, puta in quantum est forma intellectiua: neutrum dici potest: ergo. Probatur prima pars: nam si constaret ex materia, & forma, in quantum forma est, qualibet forma constaret ex materia, & forma, ac proinde ipsa forma, ex qua simul cum materia constituitur anima, constaret ex materia, & forma, & de hac forma redit argumentum, ac proceditur in infinitum: ergo. Probatur secunda pars: nam forma in quantum est intellectiua, est immaterialis: sed repugnat, vt cum de ratione formæ materialis non sit, vt constet ex materia, & forma, de ratione formæ immaterialis sit, vt constet ex materia, & forma: ergo. Videri possunt rationes, quibus supra quæst. 130. probauimus Angelos non constare ex materia, & forma. Probant enim proportionalitè nec animam intellectuam constare ex materia, & forma.

QVÆSTIO CCXXV.

Vtrum anima humana sit immortalis, & incorruptibilis, ac eiusdem speciei cum Angelis?

S. Thom. quæst. 75. art. 6. & 7.

1. **A**rt. 6. quærit, vtrum anima rationalis sit incorruptibilis, atque immortalis.

Respondet affirmatiuè iuxta illud Dionysij cap. 4. de diuin. nomin. quod animæ humanæ habent ex bonitate diuina, quod sint intellectuales, eo quod habeant substantialem vitam inconsumptibilem. Probatur ratione

Q o o o de-

desumpta ex Aristotele 3. de anima t. 1. & seq. Nam omnis forma per se subsistens, hoc est habens esse independens à materia, & subiecto, est incorruptibilis, & si sit forma viuens, est immortalis; sed anima rationalis, & omne intellectuum est per se subsistens, ut dictum est quæst. 223. num. 8. ergo. Probatur maior: nam omnis forma eatenus corrumpitur, quatenus expellitur à subiecto, à quo pendet in esse; ex gr. rotunditas ceræ eatenus corrumpitur, quatenus expellitur à cera, illa verò rotunditas, quia non est forma per se subsistens, sed dependet in esse à cera, non potest remanere extra ceram: idemque dic de alijs formis. Et ratio est, quia talis forma non potest corrumpi per expulsionem à subiecto, cum habeat esse independens à subiecto; neque potest corrumpi alio modo, alioquin annihilaretur: est autem impossibilis annihilatio, ut omnes docent; ergo nullo pacto potest corrumpi. Ex opposita ratione animæ brutorum, quia per se non subsistunt, sunt corruptibiles, & de facto, cum expelluntur à corpore, à quo pendent, percutiunt. Videri possunt quæ de animæ rationalis immortalitate, & immaterialitate, dixi quæst. 30. & 31. de anima, ubi attuli plures alias rationes physicas, & morales, & solui argumenta contraria.

2. Art. 7. quærit, utrum anima, & Angelus sint eiusdem speciei?

Responder Origenem lib. 1. Periar. cap. 5. & 8. docuisse Angelos, & animas humanas esse eiusdem speciei, ac omnino æquales in natura, ac Angelos inter se, & ab animabus hominum differre solum accidentaliter differentia orta ex libero arbitrio propter diuersa merita. Hunc errorem cum Sancto Thoma quæst. 47. art. 2. reiecit supra quæst. 121. ac iterum reiecit. Primo enim ex dictis quæstione 131. substantiæ immateriales non possunt differre solo numero, nec possunt esse æquales in natura, sed necessario differunt specie, ac sunt naturaliter inæquales; sed Angeli sunt substantiæ immateriales, ut probatum est quæst. 117. ergo Angeli non possunt esse eiusdem speciei cum animabus hominum, sed ab ijs differunt specie, & sunt inæquales in perfectione naturali.

3. Secundo ex dictis quæst. 117. num. 8. & sequentibus ad perfectionem mundi requiritur, ut dentur tum intellectus imperfecti, & qui naturaliter debeant uniri corpori, tum intellectus perfecti, qui naturaliter debeant esse separati à corpore, qui intellectus procul dubio differunt specie; sed Angeli sunt intellectus perfecti, animæ autem humanæ sunt intellectus imperfecti, ut ibidem est dictum, & ut de animabus humanis dicitur cum Sancto Thoma quæstione sequenti: ergo Angeli, & animæ humanæ differunt specie.

4. Tertio intellectus, quibus naturalis est diuersus modus intelligendi, differunt specie: sed Angeli, & animæ humanæ naturalis est

diuersus modus intelligendi: nam animæ humanæ intelligunt dependenter à sensibus, & phantasmatis, Angeli intelligunt sine ulla dependentia à sensibus, & phantasmatis; ergo. Ideo Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus dicit. *Angeli simplices, & bonos intellectus habent, non de visibilibus congregantes diuinam cognitionem.* Deinde autem loquens de anima dicit, quod de visibilibus congregat diuinam cognitionem. Sed hæc magis patebunt infra, ubi agendo præsertim de cognitione animæ humanæ, patebit, quam sit diuersa à cognitione angelica, de qua actum est supra quæst. 138. & sequentibus.

QVÆSTIO CCXXVI.

Utrum principium intellectuum animæ humanæ uniatur corpori ut forma, & multiplicetur secundum multiplicationem corporum?

S. Thom. quæst. 76. art. 1. & 2.

1. **Q**uæstione 75. Sanctus Thomas egit de ijs, quæ spectant ad essentiam, incorruptibilitatem, & differentiam animæ humanæ ab Angelis; quæstione 76. disputat de ijs, quæ spectant ad unionem animæ humanæ cum corpore. Articulo igitur primo quærit, utrum principium intellectuum uniatur corpori ut forma?

Responder affirmatiue contra errorem Platonis, Auerrois, & aliorum, qui docuerunt, quod anima intellectiua unitur corpori humano, non ut forma materiæ, sed ut motor mobili, ut auriga currui, & ut intelligentia orbibus cælestibus, quem errorem damnauit Leo Decimus in Concilio Lateranensi sess. 8. dicens. *Sacro approbante Concilio, damnamus omnes asserentes animam intellectiua mortalem esse, cum illa non solum verè, per se, & essentialiter corporis forma existat, verum immortalis.*

2. Probatur breuiter, explicando rationem desumptam ex Aristotele, quam fufius assertit Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 76. Euidens est, quod homo est animal rationale, sentiens nimirum, & intelligens. Vnusquisque enim experitur se sentire, videre, audire, intelligere, velle &c. Hoc posito, vel homo est solus intellectus assistens, & mouens, vel solum corpus sentiens, & motum, vel compositum ex utroque. Si est solus intellectus assistens; ergo non sentit per corpus, ac per corporea organa; intellectus enim purè assistens corpori, non potest per corpus sentire, videre per oculos, audire per aures. Atque siquidem vitales sunt actus immanentes, adeoque debent esse intrinseci videnti, audienti &c. Si homo est solum corpus motum; ergo non intelligit per intellectum assistentem. Impossibile enim est, quod ego intelligam per aliquem intellectum, qui